DE TABE VENEREA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE MAII ANNO 1844...

Massimiliano Panizza

DE

TABE VENEREA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FRANCISCO FLARER

Therapiae et Clinices Ocularíae P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Maii anno 1844.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

MAXIMILIANUS PANIZZA

TIROLENSIS EX CLES.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

FRATRI DILECTISSIMO

FERDINANDO

DOCTORI UTRIUSQUE MEDICINAE

AUCTOR.

174

Sit Philosophia res summa ad paucos pertinet; sit Eloquentia res admirabilis, compluribus tamen prodest quam nocet; sola Medicina est, qua opus est omnibus.

QUINTILIANUS.

Aegrotant quoque et tali morbo mulieres, sed partibus illis prurientibus, et cum voluptate nonnullis genitura profunditur, quin etiam virilem coitum impudenter appetunt.

ARETAEUS.

EXORDIUM.

Quum natura providens procreatam semel organicorum corporum varietatem sine molimine novo per seriem infinitam; durare voluisset, generatricem iis addidit potestatem, qua corpora nova sibi similia procreare, et speciem suam perennare valeant. In organismis perfectioribus haec speciei propagatio duplici sexui comittitur, qui non modo genitalibus differt partibus, verum tota veluti natura diversus est; haec propagandi facultas in brutis instinctu regitur, in homine vitae sensiferae plurimum subest. Adventante pubertate incipit in maribus humoris nobilissimi, et peculiaris secretio, quae a testibus peragitur; voluit natura, ut hic humor continuo secretus in vesciculis seminalibus colligeretur, quique pro parte

absorptus novum tonum, atque robur omni organismo impertiretur; reliqua autem pars excitare non solum debet nervos partium genitalium, verum quoque omne systema ad magnum generationis opus homines vocando.

Sed eheu quotnam mala ab intempestivo, vel hujusce functionis immodico usu hominibus prosilire solent, sive hoc locum habeat propter infandum onaniae vitium, sive propter Veneris abusum! Quum ideo oporteat aliquam conscribere dissertationem pro medicinae laurea rite capessenda, haud inane putevi opus sermonem habere de malis a nimia humoris prolifici jactura originem ducentibus: quum vero phoenomenon eminens sistat in emaciatione musculorum dorsalium, ita a nonnullis venit sub nomine *tabis dorsalis*, sed aptius vocari potest *tabes venerea* habito potissimum respectu ad causam excitantem.

NOTIONES GENERALES.

Tabes venerea cujus nomen, uti jam antea dixi, venit a causa producente, stricto in sensu non est peculiaris tabis species, sed varietas tabis nervosae, et reapse illa, quae in utroque sexu oritur a nimia seminis jactura, sive haec ex coitus abusu, sive ab infaudo onaniae vitio

pendeat. Multi auctores de tabe venerea locuti sunt non solum inter recentiores, verum quoque inter veteres; hinc exactam hujusce aegritudinis invenimus descriptionem apud antiquissimos etiam medicos, uti sat clare videre fas est in scriptis Hippocratis, Celsi Aretaei; divus autem senex de hoc morbo locutus est sub nomine *tabis coecae*, de Morbis libro II. Sect V.

Inter recentiores vero, qui de hoc morbo optime egerunt, hic recenseri merentur Wichmann de *Pollutione diurna frequente* Conradi, Hecker, Hoffmann, Joannes Petrus Frank, Tissot; sed inter omnes palmam sibi eripuit immortalis Rachetti, qui pulcherrimam hujusce morbi nosogeniam nobis tradidit.

HYPOTHYPOSIS.

Homines, qui nimis venereis delectantur amplexbus, vel turpi manusturpationis vitio indulgent plusquam aetas, viresque sinant, haec tabes facile negotio adgreditur. Propterea frequentius animadvertenda venit in juvenibus, qui recenter uxorem duxerunt, eo magis pulchram, uxores pariter quae matrimonium ineunt cum viro flagranter exoptato, adolescentes ita, et puellae, quae immatura fruuntur venere, vel etiam senes, qui juvenem, atque pulchram

ducunt uxorem; hisce enim sub circumstantiis profluvium habetur, atque jactura humoris nobilissimi, quamque jacturam comitatur convulsiva agitatio totius systematis sub quovis connubio animadvertenda.

Propterea languent primitus vires; quare aegrotantes conqueruntur de languoris sensu; atque flatubus torquentur; universum corpus pallido colore foedatur, adspectus venustatem pristinam amittit; sensus ponderis in capite adsociatur una cum molesto aurium tinnitu, patitur oculorum acies, atque aegri animi tristitia, anxietate detinentur; sub levi etiam corporis motu supervenit dyspnoea, cordisque palpitatio, contremiscunt manus, et aegre pedibus insistere valent, adhuc dum nulla febris observatur, et tametsi ciborum adpetitus vigeat, imo adaugeatur, nihilominus consumptio semper de die in diem increscit.

Sensibilitas, atque irritabilitas quin imminuantur persistunt imo aliquoties exaltantur, ingravescente dein morbo enumerata symptomata non solum intentione augentur, verum quoque nova adduntur, ita praeter summam musculorum debilitatem, atque tremores spasmi, et animi deliquia insurgunt. Appetitus antea optimus, uti jam dixi, pedetentim patitur ita ut aegri anorexia, et dyspepsia laborent;

memoria valde labilis evadit, mentisque imbecillitas adparet.

Hisce omnibus adsociatur molestus, ac peculiaris sensus formiçationis secus decursum columnae vertebralis, vel utpote aquae frigidae, aut calidae per lumbos ad regionem sacralem delambentis, lumbago vel persistens, vel recurrens, magna animadvertitur lassitudo, atque dolores ad articulationes inferiores socios se dant, quaeque eodem tempore tremores patiuntur ita, ut aeger iis male insistere valeat, ac vacillet. Jam alibi dixi, quod musculi faciei, et columnae vertebralis prae caeteris magna detinentur consumptione, cujus in gratia processus spinosi columnae dorsalis valde protuberant.

Ubi aegrotantes in hoc rerum statu versantur, ut primum lectulum petant, atque palpebras claudant, eo magis, si in dorso decumbunt nonnullas libidinosas excogitationes illico patiuntur, novaeque seminis jacturae obnoxii sunt. Si vero coguntur haec mala praepedire, aut arcere ope alius concubiti, minus ad coitum apti evadunt, et plerisque in casibus non nisi semi erectionem habent, vel nullam penis antea quam in mulieris sinum permeaverint. Nonnunquam a solo adspectu foeminae amatae, vel ex oblata imagine, aut com-

memoratione rei lascivae liquor prolificus fluit, pauca, aut nulla comite voluptate; aliquando, uti et ipse divus Ippocrates monuit, sub faecum evacuatione, vel etiam, urinarum fluxu nonnulli magna in copia humorem prolificum amittunt.

Non raro dolores dirissimi ad verticem capitis evolvuntur, nec non ad nucam; hi autem dolores pendent a magno consensu, qui adest organa genitalia inter et cerebrum, potissimum cerebellum; cephalea enim crucians in regione occipitis fere nunquam desideratur; isti dolores aliquando usque ad lumbos diffunduntur vesicam, et anum.

Ubi vero aegrotantes haud opponuntur morbo de die in diem ingravescenti, cuncta phoenomena intentione augentur, febris lenta adsociatur, quae hecticae febris characterem induit, atque cum pulsubus parvis et frequentibus in scenam prodeunt horrores post meridiem praesertim recurrentes cum genarum rubore, calore urente ad plantas pedum et volas manuum, sudoribus nocturnis, et aegri hebetes fiunt magis magisque emaciantur ita, ut umbrae deambulantes videantur; pedum oedema porro evolvitur, maculae variae, pustulae, nec non ulcuscula in cute oriuntur non defficiunt insultus asthmatici, aut epilepsiae, supervenit

tandem diarrhoea, cadunt capilli, et modo aegri inter continuas agitationes, dum adhuc aurea versantur aetate virili, finem miserrimae eorum existentiae tangunt optatum, modo autem vitae taedio correpti violenta manu vitam extinguunt.

DECURSUS.

Jam ab allatis abunde patet, quantum tabis venereae decursus variare debeat, neque in singulis casibus cum certitudine statui queit. Sub propitiis circumstantiis etiam si jam levis febris evoluta sit, in sanitatem abire non respuit, dummodo in primis causa excitans amoveatur. Majori vero facilitate ad nevroses chronicas transit, vel in spasmos diversos, inter quos recenseri hic merentur chorea S. Viti, epilepsia mere nervosa, hystheriasis, hypochondriasis paraesys vel etiam paralyses. Nonnullae cachexiae quoque evolvi queunt, uti phthisis pulmonalis, laryngea, trachealis hydropes, scorbutus; per hasce autem aegritudines secundarias modo citius, modo serius in mortem desinit.

AETIOLOGIA.

Dispositio ad hunc morbum congruit partim cum illa tabis nervosae propria, partim cum illa verae gonorrhoeae; praeterea veniunt morbilitas summa systematis nervosi, cujus gratia majorem ostendunt receptivitatem in stimulos; corporis compages tenera atque gracilis. Ad causas vero remotas plures, atque diversae ab auctoribus referuntur; ac in primis omnes in eo conveniant haud levem influxum exercere functionum genitalium abusum, et nimiam humoris spermatici jacturam; ideo silentio praetermittendum non est hocce sub intuitu infandum manusturpationis peccatum, coitus praematurus, vel etiam saepius quam vires, et aetas sinunt repetitus, uti de nonnullis juvenibus licentiosis haud raro videre fas est; drasticorum, diureticorum, et aphrodisiacorum abusus, uti essent potissimum cantharides; veniunt postea vitia organica viscerum abdominalium speciatim vesicae, intestini recti, prostatae, uti esset caesio vesicae urinariae ad calculos extrahendos peracta, vulnera, erosiones, ulcera, paralyses ductulorum deferentium, vesicularum seminalium, vel morbosa earum coarctatio, cujus in causa istae a pauca etiam humoris prolifici copia irritantur, et li-

bidinem excitant. Neque hic praetermittenda est, morbosa sensibilitas partium genitalium, substantiae acres ipsis adplicitae, distractio vesicularum seminalium inducta ab haernia urocystidis, ab aliquo tumore scirrhoso in ipsa aut partibus propinquis, interdum spermatorrhoea vera producit tabem dorsalem etiam in hominibus aliunde valde castis.

NOSOGENIA.

Ut recta idea de hujusce morbi nosogenia habeatur, plura momenta ad examen revocanda sunt, videlicet in primis humoris spermatici nobilitas perpendi debet, et quemnam influxum in totam vitam reproductivam exerceat dignosci oportet; dein ad nervorum originem et communicationes mentem dirigere debemus, nam solummodo hacce ratione explicari possunt phoenomena morbosa, quae in decursu tabis venereae observari solent.

Relate ad primam partem non solum, verum quoque ad alteram sequimur opinionem celeberrimi Professoris Rachetti expositam in nunquam satis laudato opere de structura, et officiis medullae spinalis. Et re quidem vera si nostram attentionem bene dirigimus ad cuncta illa momenta, quae humoris prolifici secretionem

comitantur, clare elucet, quanta sit dignitas hujusce humoris. Organa, quae a natura pro speciei conservatione data fuere, solummodo adventante pubertate magnam evolutionem acquirunt, quando totum corpus pari gressu incedit: in puerili aevo, dum nulla habetur spermatis secretio, corpus valde gracile est, neque pueri in alterum sexum proclivitate detinentur. Quando e contra hujusce nobilissimi humoris secretio inchoatur, quod autem variat pro diverso clymate, vivendi genere, ac totius organismi evolutione, tamen apud nos plerumque in tertio lustro observatur, omnes organismi partes fere nova donantur vita, tunc omnium partium determinatur proportio, musculi antea graciles torosi fiunt ad qualemcumque laborem parati; omnes sensationes, et perceptiones perfectiores observantur, vox quae antea similis erat tam in uno quam in altero sexu in maribus plerumque haud parum mutatur, et gravis evadit, tunc barba ad mentum, et pili ad partes pudendas erumpunt, quaeque omnia satis comprobant organismum perfectionem suam tetigisse atque se ad magnum generationis opus parare.

Non tantum in maribus verum quoque in foeminis pubertas ingruit phoenomenis peculiaribus stipata, partes pudendae pilis pariter

exornantur, mammae magnam evolutionem acquirunt, menstruorum fluxus exorditur, pronitas in alterum animadvertitur sexum, amoris blandimenta persentire incipiunt; atque tandem inchoatur secretio humoris illius qui deiu germen futurae prolis constituere debet; exoptata autem pubertatis dies prima est in foeminis.

Quod organorum genitalium evolutio, et humoris seminalis secretio multum conferant ad ovulutionem totius organismi, physiologia satis docet, et comprobat; quod patiuntur illi, in quibus organa genitalia non evolvuntur, vel nefanda barbaria abscinduntur, non sunt enim homines, non foeminae, sed turpia humani generis simulacra: ex alia autem parte dein videmus quanta hujusce humoris sit dignitas, nam mala, quae ex nimia seminis profusione oriuntur, minime ab aliis jacturis producuntur uti diarrhoea, dysenteria, haemorrhagiae etc. neque ista quoad quantitatem aequiparari possunt cum jactura seminis, quae est multo minor.

Probat etiam humoris seminalis dignitatem ejusdem destinatio pro speciei propagatione, quodque opus natura in deliciis habet. Sed liquor spermaticus non solum generandi officium adimplet, sed a vasis lymphaticis absorptus, atque in sanguinis massam delatus, pro interna secretione videlicet nutritione, haud parum

confert; propterea illi, qui venereis amplexubus moderate utuntur, robustiores evadunt, quod et Haller, et phylosophi antiquitatis, Pitagoras, Plato agnoverant.

Quód autem medulla spinalis propter nimiam spermatis jacturam pati debeat, in primis facile evincimur, si perpendimus hanc primitus persentire malos effectus actionis immodicae, et excessivae nervorum qui motui, ac sensui partium genitalium consulunt, tum quia isti nervi ab illa immediate procedunt, tum quia ipsis praessidet utpote organon centrale earum functionum. Si vero observamus complexum nervorum, qui ad partes tam externas quam internas generationis pergunt, invenimus ipsis efformari a ramis anterioribus I. II. IV nervorum lumbarium, nec non ab illis II. III, et IV sacralium, et revera a I nervorum lumbarium oritur in maribus nervus spermaticus externus, qui ad musculum cremasterem pergit, nec non ad testes, atque jungitur cum plexu spermatico inferiori; in foeminis vero nervus illeo inguinalis qui uterum petit: a II lumbarium originem ducit ramus, qui pariter ad musculum cremasterem fertur, et postea diffunditur super cutim scroti; in foeminis autem ad magna labia. Ex surculis autem II, et III sacralium conflatur sic dictus *nervus puden-*

dorum, qui antea surculos suppeditat super partes quibus iter facit, atque dein disperditur in dorso penis, ubi nomen accipit nervi superioris penis; inferior dein factus surculos exhibet corporibus cavernosis urethrae, atque tandem in parte inferiore glandis, et praeputii terminat.

In foeminis autem a III. sacralium oriuntur nervi haemorrhoidales interni, qui pergunt ad partes pudendas, et magna labia; ab eodem III originem ducit nervus pudendalis superior qui diffunditur ad parva, et magna labia, nec non clytoridem.

Filamenta autem anteriora nervorum lumbarium non solum inter se mutuo conjunguntur, sed quoque I lumbaris communicationem tenet cum ultimo dorsalium, atque I secralium jungitur cum postremo lumbarium. Ex hisce evidenter agnoscimus, quomodo unusquisque ex surculis partibus genitalibus consulentibus directam communicationem teneat cum magna medullae spinalis parte: ita propter excessum in venere, languente, atque exhausta in nervis partium genitalium efficientia nervosa, initium habent paraesis symptomata hacce in parte, proindeque penis erectio ab exordio fit debilis dein praepeditur, et propter musculorum contractionem sub conatibus alvum, vel urinam

ponendi, vel propter solam lubricam imaginationem in insomniis, vel etiam propter adspectum, aut commemorationem alicujus objecti lascivi involuntarie semen fluit, quodque fit semper cum majori virium nervosarum exhaustione, donec inferior medullae spinalis pars in compassionem trahatur. Propterea aeger persentit sensum formicationis juxta decursum spinae dorsalis, dolores ad lumbos, delassationem in cruribus, quae tandem abit cum motus abolitione; quare aegrotantes magna cum difficultate alvum, et urinas exonerare valent.

Superest nunc ut demonstremus, quomodo propter communicationem, quam habent nervi arteriarum spermaticarum cum plexubus nervosis abdominis, et quomodo ob conjunctiones nervi intercostalis cum surculis medullae spinalis, in tabe venerea tot symptomata, atque mala habeantur nervosa, quae vexant, et infringunt quam maxime functiones ventriculi, et intestinorum, oculorum acies turbant, ac omnino delent, mentis facultates labefactant. Hoc autem pendet, quia nervi, qui praesunt spermatis secretioni, communicationem tenent cum majoribus plexubus nervosis abdominis, et revera plexus spermaticus superior internus oritur a plexu renum, atque jungitur cum surculo plexui spermatico inferiori, atque cum arteriis

testibus diffunditur; in foeminis ad uterum, et ovaria. Inferiora versus plura ganglia spermatica, quae mutuo junguntur, cum plexibus renum communicant, nec non mesenterico superiori, inferiori, et hypogastrico, atque insimul constituunt plexum spermaticum inferiorem internum; sicut vero renum plexus oriuntur a celiaco, et mesenterico superiori, hic postremus ex celiaco conflatur, qui constat ex unione nervorum frenicorum, paris vagi, et splancnicorum, atque copiosa surcula suppeditant diaphragmati, ventriculo, duodeno, hepati, lieni etc.; ex hoc ideo clare patet, propter laesionem, et paralysim nervorum spermaticorum, qui potissimum in hac tabe adfecti sunt, horum organorum alterationes derivari; labefactata proinde digestione, et nutritione cerebrum quoque patitur, atque totius corporis emaciatio subsequitur. Sicuti vero nervus intercostalis in parte superiore communicationem tenet cum quinto, et sexto cerebralium, ita organa sensuum male afficiuntur, proinde habentur aurium tinnitus, amnesia, visus imbecillitas, pupillae dilatatio, cephalea etc.

PROGNOSIS.

Praesagium futurae sortis in tabe venerea nisi omnino infaustum, saltem valde reservatum requiritur; haec enim aegritudo periculosissima est, et plerumque lethalis.

Sub propitiis autem circumstantiis sanitatem non respuit. Nonnullis in casibus enim post menses, et annos tantum ad perfectam suam evolutionem pervenit, et si pro quibusdam circumstantiis non agnoscitur, vel negligitur morbus, vel causa excitans non amovetur, ad eum pervenit gradum, ut in potestate artis amplius non sit eum sanare.

THERAPIA.

Cura hujusce morbi in prophilacticam, et therapeuticam dividitur. Ita in primis valdopere juvant consilia tum parentem quam medicorum, et ante oculos ponenda sunt omnia mala quae tali pacto saluti suae parant. Sed raro consilia valent, eo magis si a turpi manusturbationis vitio morbus suam duxit originem, tunc nunquam soli relinquendi sunt praesertim de nocte, etenim est hoc tempore, quo vitio magnopere indulgent; inde obdormire de-

bent in lectulo duriusculo, et super latera; etenim tali ratione praepediuntur erectiones.

Post curam prophilacticam venit therapeutica, quae variis adminiculis perfici potest. Hyppocrates curam lacteam proponit sequenti modo peragendam: Aeger ab initio sumere debet serum, postea lac asininum, tandem vaccinum, et per quadraginta dies continuari oportet, et hoc ut praescribatur leve nutrimentum; vult auctor pariter, ut pro toto tempore, quo cura lactea perdurat, aeger ab aliis alimentis abstineat; caveat per integrum annum ab ebrietate, atque venere, nec non laboribus, excepta deambulatione.

Aretaeus pariter commendat curam lecteam, sed proponit quoque usum rubefacientium externe, castorei interne, et ipse vero majorem fidem ponit in cura diaetetica quam pharmaceutica. » Universum autem victus, ille ait, rationi tribuendum, concedendum, et credendum est, exercitationibus, et ambulationibus et gestationibus, haec enim habitum ad calorem convertunt, quo in hoc affectu est opus ».

Boerhaave e contra dixit quod aegrotantes retinere non valent in ventriculo lac; et re quidem vera dantur nonnulli adeo debiles, ut illud per vomitum rejiciant. Ast summi in rebus medicis viri conveniunt in usu lactis, in quo

Hoffmann magnam fidem ponebat, Tissot vero praescribebat uncias sex dococti saturi chinae cum uncia una vini optimi, et de mane aeger summere debebat uncias decem lactis.] — Etiam et camphora proponitur ob ejus anaphrodisiacam virtutem.

Petrus Frank dein praeter lac commune laudat lac humanum, quod aegri haurire debent e mammis mulieris, tali modo enim recentius est, atque viribus stomachi debilioribus convenit. Ast Rachetti hoc absolute rejicit, uti e sequentibus clare patet. » Parmi nulladimeno una bizzarria quello di suggerire, che l'infermo di tabe dorsale abbia a succhiare il latte dal petto della donna, a meno a dire, che non si tema il facile eccitarsi degli stimoli venerei; perciocchè trattandosi di tali, che furono dediti passionatamente alle donne, e che ad ogni menomo stimolo, e per sola forza d' immaginazione perdono il seme, il metterli in braccio ad una femmina a poppare, la quale, perchè facesse buon latte dovrebbe essere anche giovane; sarebbe un aggiungere esca al fuoco, ed un porre l'infermo a pericolo di perdere per altra via più di quello, che acquistasse con questa natural lattazione.

Externe quoque nonnulla auxilia commendata fuere; ita veteres laudabant balnea tepi-

dula, quia temperies uniformis, et modica amica est nervis; Tissot proponit balnea frigida, sed non semper prosunt, quin imo interdum nocent; potius convenire videntur immersiones frigidae tantum vero per nonnulla horae momenta; Aretaeus hoc sub intuitu dixit: » Quod si temperans sit rerum venerearum, et frigida laventur, spes est fere ut celerrime homo virilem habitum induat. »

Proposita quoque fuere cauteria ad spinam dorsi scopo revellenti: hic vero animadvertendum est, quod haec auxilia juvare possunt quotiescumque corpus minime emaciatum sit, quodque non nisi rarissime in hoc morbo observatur; si enim vires defficiunt, sub maxima atrophia summopere nocere possunt propter suppurationem subsequam; ideo magna cum circumspectione incedendum erit in causticorum adplicatione, ne vires jam minis labefactatae magis infirmentur.

Novissimis vero temporibus Professor Lallemand injectiones ex lapidis infernalis solutione peractas proposuit, atque ad humoris prolifici fluxum sistendum suis periculis innixus valere asserit, sed lis adhuc sub judice est, nam suspicio adest, an ille morbus fuerit vera spermatorrhoea vel potius catharrus chronicus colli vesicae.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE

1. Choream in pueris fere semper ab helminthiasi pendere.

2. Scorbutum plus diaeteticam quam therapeuticam curam postulare.

3. Acidorum actio in typho non antiseptica, sed deprimens.

4. In Cotylitide externa revellentium adplicatio perutilis.

5. Non datur phlogosis specifica in typho.

6. Symptomata nervosa in pneumonitide gravi sympathica sunt a laesa pulmonum functione.

7. Percussio abdominis parum praestat in eruendis morbis viscerum abdominalium.